



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

Henrico Beningio Domini in Werckeren, S. P. D. Joh. Schultingius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

HENRICO BENTINGIO

Domino in Werckeren,

S. P. D.

JOH. SCHULTINGIUS.

TEmpus illud, NOBILISSIME BENTINGI, quo tuam primum in gratiam atque amicitiam studiorum insinuavi similitudine, non ante animo excidet meo, quam Præceptoris nostri, summi Gronovii, qui Remp. litterariam hoc in Belgio procumbentem, & lapsam adeo, unus egregie præter ceteros restituit, meminisse, & menti infixæ illius præcepta habere desinam. Quæ meo tunc elabentur pectore, quando omnis honesti, jucundi, ac salutiferi, memoriam ex eo exiurbare potero. Multa autem sicut alia, dum tantum sequimur ducem, audivimus & vidimus præclara atque egregia: ita illud simul intelleximus præcipuum; non temere esse, quod tot consentire potuerint secula, ad conservanda, quanquam maximi id sumptus esset ac laboris, divina illa priscorum ingeniorum monumenta, eaque posteris transmittenda. Constat sane plures numero posse produci, qui ea in sententia versentur, unde diversum quis existimet: sed hos scimus artium, de quibus faciunt judicium, expertes & profanos vivere: & verorum studiorum in regno ponderantur sententiæ, non numerantur. Certe ego, dum antiquos illos perlustro & verso, quemadmodum tu soles, ita & ipse maximam fateor, nec aliud affirmem liquido, inde me voluptatem percepisse: & utilitatem præterea eam, (cavilletur in hoc ambitiosa ignorantia, quantum volet) ut me plusquam vulgaria iis debere sine ingrati crimine diffiteri non possim. Quinimo ut obstrictum me judicem ad quoscunque sumendos labores, qui vel ad tuendam eruditioni dignitatem, vel augendam pertinere videantur. Quo magis inter alia id quoque muneris mei esse existimare debui, tum ut, si quam injuriam librariorum aliorumve imperitia &

Bbb 4

audacia

audacia venerabili isti deposito (antiquorum ita appello scripta) animadverterem illatam, eam, quantum in me esset, demerem, & corrupta restituerem: tum ut, si qua angulo interiore essent condita, ea in lucem protrahere, & explicata ante oculos ponere contenderem. Atque hujus rei initium ad Quintilianos jam sum auspicatus: quorum ad scripta omnis elegantiae, omnium acuminum, (alia nunc mitto) plenissima, aliqua me praestitisse, brevi, vita suppeditet modo & otium, rem sum auctorem daturus. Nunc temporis excludor angustiis. Specimen tamen illorum emendationes has, & notas deperavi. Quas tibi, NOBILISSIME BENTINGI, dedicare visum est, ut ostenderem, tuam me illam in litteras nostras propensissimam voluntatem suspicere ac venerari, tuamque gratiam atque amicitiam, quam olim mihi conciliavi, custoditam vovere. Eam autem magis etiam perpetuam mihi spondebam si studiorum meorum, quod hac re perfici poterat, apud te constaret ratio, & videres, dum locis longum jam tempus vivimus disjuncti, nihil me interea ab ea deflexisse via, quam in condiscipulatu, cum studiorum jaceremus fundamenta, didicimus, & quam solam probas, nec quisquam est improbaturus, nisi qui Scaligero, Casaubono, Grotio, Salmasio, alius viris incomparabilibus, quorum scripta veneratur, & adorat orbis, eruditior & judicio melior postulabit haberi. Vale Nobilissime & Amplissime Vir. Summus Rerump, praeses velit, ut ex sententia quam diutissime cernas florentem in patria communi illustrem illam domum tuam. Noviomagi in Geldris XIII. Kal. Febr. clō lō c. LXV.

JOHAN-

BPP